



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. xxi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

De illis qui Christi pecunias auferunt vel rapiunt.

Caput XVIII.

Qui abstulit, inquit, aliquid patri, homicidæ particeps est. Pater noster, sine dubio, Deus est, qui nos creauit. Mater verò Ecclesia, quæ nos in baptismo spiritaliter regenerauit. Ergo qui Christi pecunias & Ecclesiæ aufert, rapit, aut fraudat, homicida est, atq; ante Deum homicida deputatur. Qui enim res Ecclesiæ abstulerit, sacri legium facit, & vt sacrilegus iudicandus est.

*Ex epist.
Anaclei
papæ cum
clis fide-
bus missa*

De eadem re. Cap. XIX.

Rerum Ecclesiasticarum & facultatū raptores à liminibus sanctæ Ecclesiæ anathematizantes apostolica autoritate pellimus & damnamus, atque sacrilegos esse iudicamus, & non solum eos, sed etiam omnes consentientes eis: quia non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt rei iudicantur. Augustinus dicit: Qui aliquid de Ecclesia furatur & rapit, Iudæ proditori comparatur.

*Ex deer.
Lucii pa.
cap. 10.*

De eadem re. Cap. XX.

Hic qui dederit vel acceperit oblationes altaris, præter episcopum vel eius missum, & qui dat & qui accipit, anathema sit.

*Ex cõcil.
Gãgren.
cap. 8.*

De eadem re. Cap. XXI.

Si quis oblationes Ecclesiæ extra Ecclesiam rapere vel dare voluerit, præter conscientiam episcopi, vel eius cui huiusmodi officia commissa sunt, anathema sit.

*Ex cõcil.
apud S.
Medar-
dũ, cap. 1.*

De eadem re. Cap. XXII.

Vti hi qui monasteria & loca Deo sacrata & Ecclesias infringunt, & deposita vel alia quælibet exinde abstrahunt, dampnum nouies componant, & emunitatem tripliciter, & velut sacrilegi canonice sententiæ subigantur.

*Ex deer.
Ioannis
pa. ca. 10*

De his qui domum Dei contemptibilem ducunt.

Caput XXIII.

Quisquis fastu superbiæ elatus, domum Dei ducit contemptibilem, & possessiones Deo sacratas, atque ad honorè Dei sub regiæ emunitatis defensione constitutas, inhonestè tractauerit, vel infringere præsumpserit, aut incendia vel vastationes ausu temerario perpetrauerit, quasi inuasor & violator Ecclesiæ Dei, quæ est domus Dei viui, à communione omnium fidelium abscindatur.

*Ex cõcil.
Mogũti,
cap. 7.*